



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtru[m] omnes teneantur ad suscipiendum baptismu[m]?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

¶ Undecimo, vtrum aliqui sint baptizandi in matris uteris existentes?

¶ Duodecimo, vtrum furiosi & amentes sint baptizandi?

## ARTIC. I.

384 *Vtrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi?*

*inf. q. 70. a. 2. ad 3. c. 4. Et 4. d. 4. q. 3. a. 3. q. 2. c. et ad 3. et d. 6. q. 1. a. 1. q. 1. c. et 4. c. 10. tra. c. 71.*  
**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis.

Sed ante Christi aduentum poterant homines saluari sine baptismo. Ergo & post Christi aduentum.

¶ 2 Præterea, Baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis. Sed ille, qui est baptizatus, cum non habeat originale peccatum, non videtur quod possit illud transfundere in prole. Ergo filij baptizatorum non videntur esse baptizandi.

¶ 3 Præterea, Baptismus datur ad hoc, quod aliquis per gratiam a peccato mundeatur. Sed hoc consequuntur illi, qui sunt sanctificati in utero, sine baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum baptismum.

**S**ED contra est, quod dicitur Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et in lib. de eccl. dogmatibus dicitur, Baptizatis tantum iter salutis esse credimus.

*in l. de eccl. dog. c. 24. et 74. habetur inter ope. Aug. t. 3.*  
**R**ESPONDEO dicendum, quod ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem, quod nullus potest salutem consequi, nisi per Christum. Vnde & Apost. dicit Ro. 5. Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Ad hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius. Vnde dicitur Gal. 3. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Vnde manifestum est, quod omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.

Ad primum ergo dicendum, quod nunquam homines potuerunt saluari, etiam ante Christi aduentum, nisi



nisi fierent membra Christi: quia vt dicitur Actū 4. non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sed ante aduentum Christi, homines Christo incorporabantur per fidem futuri aduentus: cuius fidei signaculum erat circumcisio; vt Apost. dicit Rom. 4. Ante vero quā circumcisio institueretur, sola fide (vt Greg. \* dicit) cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui patres profitebantur, homines Christo incorporabatur. Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur: secundum illud Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Sed alio signo manifestatur fides rei iam præsens, quā demonstraretur, quando erat futura: sicut etiā alijs verbis significatur præsens, præteritum, & futurum. Et ideo licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem: fides tamen, cuius baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit.

*l. 4. mor.  
c. 2. circa  
med.*

Ad secundum dicendum, quod (sicut in secunda parte dictum est \*) illi qui baptizantur, renouantur per baptismum secundum spiritum, corpus tamen remanet subiectum vetustati peccati: secundum illud Rom. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero viuū propter iustificationem. Vnde & Aug. \* probat in lib. contra Iulianum, quod non baptizatur in homine, quicquid in eo est. Manifestum est autem, quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filij baptizatorum, cum peccato originali nascuntur: vnde indigent baptizari.

*p. 2. q. 8 r.  
a. 3. ad 2.*

*l. 6. c. 6. a  
me. ad fi.  
to. 7.*

Ad tertium dicendum, quod illi qui sunt sanctificati in vtero, consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali: non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc si aliqui nunc sanctificarentur in vtero, necesse esset eos baptizari: vt per susceptionē characteris, alijs membris Christi conformarentur.